

# Philomathus - Fabius Chisius

## ‘Pompeius’

Tragoedia  
(1621)



Jan-Wilhelm Beck  
Institut für Klassische Philologie  
Lehrstuhl Lateinische Philologie  
Universität Regensburg  
Universitätsstraße 31  
93040 Regensburg  
April 2008

## Pompeius, Tragoedia

Quam Auctor anno M.DC.XXI., cum forte rusticaretur, lusit, Senecae in morem, tum quoad oeconomiam tum quoad metrum, solius oblectationis gratia; nec umquam publice dari passus est.

### Argumentum

Cneus Pompeius, Cnei filius, cognomento et re Magnus, ter Consul, ter Triumphator, ubique victor, deficiente foris hoste, quem vinceret, civem domi invenit, a quo vinceretur. a Caesare in Emathia profligatus, in Aegyptum appulit; male confidens alienis, iam destitutus a suis. itaque, clam fugiens hostes, palam ab hospite interficitur, mentiti foederis fraude a Ptolemaeo exceptus.

### Personae

Vmbra Iuliae, quae prior erat Pompeii uxor  
Cneus Pompeius Magnus  
Theophanes, a consiliis Pompeii  
Achillas, Dux exercitus Ptolemaei  
Cornelia, Pompeii uxor  
Chorus Pelusiorum  
Chorus Romanarum Mulierum  
Nuntius

*Scena est ad littus Pelusii*

## Actus primus

### Vmbra Iuliae

*Pompeio, coniugi quondam suo, appellenti in Aegyptum atque ad Ptolemaeum divertenti, male ominatur ac suadet fugam.*

- Vmb. Heu, fuge, Pompei, male fidi littoris oras;  
Heu, fuge Niliaci barbara tecta Ducis!  
Nefariis non degit hic terris fides,  
Non tuta profugis regio: secedant procul  
Et levia in altum vela committant rates. 5  
Cruenta, victus, bella nequicquam fugis,  
Si male secundis unda te Zephyris vehit,  
Qua dira paces inter ancipites parat,  
Quaque execrandum stragis impendet malum.  
Incautus hospes, quale perfugium petis? 10  
Fuge manum amicae frontis hostilem procul!  
Iacuisse pueri fraude diceris senex,  
Nec patria meritos grata persolvat rogos.  
Iulia, vetustas pectore asservans faces,  
Enixa quondam trepida mentitae necis 15  
Foetus acerbos uxor et propero nimis  
Extincta casu, huc Ditis e Regno volans,  
Linquo beatas sedis Elysiae domos,  
Nuntia malorum: sortis extremae vices  
Admoneo et ima repeto fatorum loca 20  
Et sector umbras umbra per amoenum nemus.  
Heu, fuge, Pompei, male fidi littoris oras;  
Heu, fuge Niliaci barbara tecta Ducis!

### Pompeius

*Spe plenus, animos suorum erigit instaurandumque bellum pollicetur, potentissimorum sociorum armis adiunctis.*

- Pomp. Quaecumque caeli fulgida lucis plaga,  
Gradive, bellorum parens; tuque o Deum 25  
Sator, potenti sceptrum qui torques manu;  
Et, quae Latinum Patribus invidit decus  
Infensa quondam Iuno; quaeque nitens Venus  
Rosea albicantem luce respersit diem;  
Tuque, o Quirine; quaeque inextinctum foves 30

Ignem, cremato vosque Dii magni Phrygum  
 Advecti ab Ilio: adeste et infaustos, precor,  
 Auferte cursus; melior accedat piis  
 Fortuna bellis. omnia fluunt motibus  
 Addicta vestris: quisquis invito velit 35  
 Pugnare caelo, quamquam et aequo dexteram  
 Obarmet ense fasque vindicet et Deos,  
 Citior sagitta cadet hic emissa manu  
 Scythae fugacis, fulmine aut magni Iovis.  
 Cessare iuvet, adversa quoties imminet, 40  
 Morasque trahere, siderum donec nova  
 Facies nitescat, placida quae sortem ferat.  
 Effugimus, quodcumque portendens mala  
 Sidus nocenti lumine cucurrit polum.  
 Nunc et cruenta strage minitari necem et 45  
 Patris rebelles persequi ferro licet.  
 Status has vices mortalium alternas habet,  
 Atra ut sequatur nox diem, noctem dies  
 Clarus recipiat; varia sic rerum parens  
 Natura ludit, laeta lacrymis implicans, 50  
 Fabula inopino semper ut cadat exitu.  
 Eia agite, Cives, Romuli clarum genus;  
 Prudens et astus, mente generosa latens,  
 Non timor in acie debilem suasit fugam.  
 Prolusit ensis Emathiae in arvis meus 55  
 Sensitque fata adversa fugitque impetus  
 Lethi manentis. hic adornandum est recens  
 Agmen, ubi fatis melior aspirat meis  
 Fortuna et hospes excipit Phario puer  
 Spectandus ostro; tutus hic socios mihi 60  
 Vocabo ad arma: veniet et, tumidum bibit  
 Quicumque Nilum, lata portantem mari  
 Per ora septem divites undarum opes,  
 Et qui nitenti Sole ferventem plagam  
 Sitiens, arenis mobilem Libyam, colit. 65  
 Hinc Maurus insignis veniet, illinc vagi  
 Acresque Numidae, quaeque ad Austrum extenditur  
 Amica tellus, quaeque in occiduis iacet  
 Porrecta campis. nec minus habet militum  
 Romana classis: mille in Argivo mihi 70  
 Foetae triumphis militant pelago rates.  
 [Armis onusto milleque vagantur duces.]  
 Sparsit magis quam perdidit nostras opes  
 Patriae rebellis; ista nec iactet tumens  
 Vicisse bella. sumite antiquum decus 75  
 Atque arma, Cives; patria vel distet procul,

Non illa secum robur atque animos tenet:  
 Cadaver est, turrita quidquid moenia  
 Cingunt; nec urbes marmor insanum facit,  
 Sed si qua virtus civium mentes colit, 80  
 Facilis negatas siderum tentans vias.  
 Vos corde Romam geritis illustrem, Patres;  
 Quae Roma domuit, quidquid exoriens videt  
 Cadensque Titan, quae subegit limite  
 Ab utroque mundum, tota nunc vestro viget 85  
 Spiratque vultu; hanc reddite suo Tibridi  
 Suoque caelo. subeat et mentem, precor,  
 Ausonia, libertas, parentes, coniuges  
 Natique parvuli, gravis quibus imminet  
 In servitatem casus, ut vecordiam 90  
 Damnent parentum, quod tyranno subdita  
 Patritia servile tulerit cervix iugum.  
 Heu, quale miseris instat et quantum nefas!  
 Mittentur umbris victimae, qui vix frui  
 Auris didicerint, citius ereptam sibi 95  
 Vitam querentes, quam per aetatem viri  
 Specimen avitae ferre virtutis queant.  
 Vos dicet hostes turba natorum innocens -  
 Si noscere hostem poterit aut saltem loqui -  
 Vulneraque credet vestra. qui haud prohibet scelus, 100  
 Mandat patrari. heu, quantus in bellis adest  
 Caesar, cruenta sternat ut cives manu,  
 Vt ille priscus abeat a patria vigor,  
 Nostro ut cruore purpuram Regno paret!  
 Non ita. Philippis non adhuc periit decus, 105  
 Quod Regna toties victa pepererunt mihi;  
 Quosque mihi comites fecit adversus labor,  
 Non sic triumphis propior amittet dies.  
 Non totus ego Pharsalia cecidi, manet  
 Pompeius et secunda stellantis poli 110  
 Metitur oculis spatia. quem sibi Vindicem  
 Hucusque dicit Roma, mox dicet Patrem.  
 Iungamus arma; vincat et numero phalanx  
 Et robore hostes, cui socia stringat Pharos  
 Rexque Iuba foedus. sique bellantum agmina 115  
 Maiora cupitis, veniat, Eoum excipit  
 Quicumque Solem, quique fugientis natat  
 Tigridis in undis, quique in Euphratis levi  
 Illudit alveo; mea sequatur frigidus  
 Vexilla Pontus, Colchis et profugi Scythae 120  
 Parthique Alanique et nitescens Persidis  
 Acinace manus et propinquo decolor

Phoebo Indus: omnis militet tellus mihi;  
 Non illa iussus segnis excipiet meos.  
 Vbique norunt: ille Rex pacem fovet 125  
 Auctore Pompeio, ille victus destitit  
 Belloque cessit; quisquis et contra stetit,  
 Mox cecidit hostis. ite et omnes undique  
 Accite populos, quosque domitor subdidi  
 Et queis peperci: laetus imperia excipit 130  
 Vterque. nomen victor extendi pium,  
 Quo nolui arma; quosque non ferrum sibi  
 Devinxit, illis aureas nomen sinu  
 Fecit catenas. orbis aut nostro fuit  
 Subactus ense aut cessit officiis libens. 135  
 Vel ipse, tumido qui imperat Nilo puer  
 Erratque campis, agmina sororis fugans,  
 Mihi, quidquid habet, id gratus acceptum refert.  
 Regno Parentem reddidi profugum suo:  
 Hinc ille moriens divitem fidei meae 140  
 Commisit Aulam; haec ipsa me supplex rogat,  
 Vt sceptrum conciliem. ibo et adversas procul  
 Arcebo turmas. prorsus haud cecidit suis,  
 Quisquis alienas erigere dextra venit  
 Potens ruinas; resque componet suas, 145  
 Firmare tenues ille qui externas potest.  
 Interea eatur, qua posuit hospes dapes  
 Ditesque mensas. fata fortunet Deus.

### Chorus Pelusiorum

*A Luna, maris fluxu fatisque alternas Fortunae vices describit atque ab habitu athletarum in deterius vergente Romanae potentiae casum argumentatur.*

Cho. Ergo stat varia sub vice mobile,  
 Quidquid noctivago lumine Cynthia 150  
 Praecingens tremulis motibus aspicit.  
 Heu, nostris nimium proxima finibus,  
 Quam vitae instabilis prodiga, rebus his  
 Cursus ambiguos Cynthia dividit!  
 Non sola undisoni murmuris aequora 155  
 Alternis repetunt littora fluctibus  
 Et facto refluent agmine, nescia  
 Servandi requiem. protinus omnia  
 Fato humana ruunt irreparabili.  
 Nec cessare licet: prospera non moram, 160  
 Non adversa trahunt. deprimit Hesperus  
 Et durus tenebras trudit ad inferas,

Quos vix ad Superos Phosphorus efferens  
 Casuros tenui luce refuderat.  
 Tempus fulmineo labitur impete 165  
 Caelorumque vagis cursibus imperans  
 Pervertit celeri turbine subditos  
 Terrarum populos; Regnaque praeliis  
 Miscens, sollicitis corda potentium  
 Curarum stimulis tangit. hic ambitu, 170  
 Hi luxu pereunt; ille superbior,  
 Hic belli cupidus. fingit opinio  
 Totum id nostra sibi, quae procul abditas  
 Causas quaerit iners. omnia temporis  
 Caelique arbitrium perdit et elevat. 175  
 Certos imposuit Daedala limites  
 Natura et Superum providus Arbiter,  
 Quos ultra nequeunt res sine labili  
 Pertransire fide. nec mala saepius  
 Aerumnaeque nocent, quam bona mollibus 180  
 Corruptunt opibus fataque prospera.  
 Sic crescit validis robur in artibus,  
 Et maiora vigent corpora viribus.  
 At, cum summa tenent nec datur addere  
 Ultra, in deterius squallida corruunt. 185  
 Sic procera petit sidera vertice  
 Quercus nec modico germine pullulans  
 Ad terram subito pronaque concidit.  
 Sic Vrbs Dardanii Martia Romuli,  
 Postquam finitimos vicit et undique 190  
 Antiquam Hesperiam atque arva Proserpinae  
 Poenosque et gelidam subdidit Illyrin,  
 Et postquam Assyriam pugnam et Achaicam  
 Piratamque vagum et Pontica praelia  
 Et Parthos celeres, Baetis et accolas 195  
 Et magnas tumido nomine Gallias  
 Disiecit, populis omnibus imperans;  
 Quod summum tenuit, quod nimium fuit  
 Felix, ut Superos culmine tangeret,  
 Tandem Roma suis viribus occidit. 200

## Actus secundus

Pompeius

*Mala praesagit animo nec fedit.*

Pomp. Quam facile dives quisque consilium alteri  
Donat et egenus ipse non reperit sibi!  
Quam saepe varians animus audaci tegit  
Vultu timorem! verba percepti meus  
Mentita miles speque non ficta cibo 205  
Vescitur, et hilaris mensa compescit famem.  
Me dirus ille, qui occupat mentem, dolor,  
Vetans quietem noctis et solitas dapes,  
Solamen ullum prohibet aerumnis dare.  
Quo tendis, anime? quodve perfugium paras? 210  
Extrema cum te fata circumstent, quid, haec  
Commenta fingens, quaeris externam fidem?  
Aut unde, tot pressus malis, socium paras?  
Proles vetusti bella Ptolemaei gerit;  
Nec sua relinquet ille, qui dubius tenet, 215  
In sorte dubia ferat ut alienis opem.  
Tuteris alterum, alter erit hostis tibi;  
Vterque concors tela dimittat, tamen  
Confide nulli: mobilis in annis furor  
Aetasque mollis: facta mutant illico, 220  
Amata linquunt, quodque damnarunt, probant.  
Tenax virili regnat in dextra fides.  
Iubam requires? Poenus hunc sanguis notat  
Acrique tacitos mente subnectit dolos.  
Parthumne adibis? pugnat hic campis fugax 225  
Nec superat umquam montis elati iuga;  
Fraudique fedit et venenis illitum  
Committit auris debilis ferrum manus.  
Quid Indus aut Arsacidae? in adversis perit  
Ea, quae secundis oritur in rebus, fides; 230  
Et sorte vitam prospera quidquid trahit,  
Occidet, amicas illa si mutat vices.  
Qualis, bipenni plurima sylvis labans,  
Annosa quercus motat antiquum caput  
Nutatque certumque legit ancipiti locum 235  
Tremens ruinae, talis in varias feror

Et ipse partes; certus et casum sciens,  
 Incertus, ubi casurus, animi pendeo.

Theophanes, Pompeius

*Theophanes Pompeium recte sperare iubet, dum hic interea portentis variis et visis nocturnis terretur suspectamque habet fidem hospitis pueri.*

- Theo. Romane, veteris clara progenies Numae,  
 Quid insueti corda sollicitat mali? 240  
 Quid moesta tecum loqueris aurasque anxio  
 Murmure fatigas? pande curarum sinus  
 Malisque tantis, quaeso, me socium voca,  
 Quem saepe nosti sorte gavisum tua.  
 Effare; reddunt verba et aerumnas leves, 245  
 Quisquam nec adeo consili prudens viget,  
 Quin melius aliquid fando consultet sibi.
- Pomp. Leviora damna voce relevari queunt.  
 Graviore premimur sorte, quam minuat sonus;  
 Nec mentis illud ratio rimari velit, 250  
 Quod quisque novit, nimis et experto patet.  
 Vidi nefanda civium Emathios nece  
 Crevisse campos, grande Romulidum decus;  
 Quin ipsa Roma caede fatali occidit,  
 Degener ut hostis victor Ausoniam premat. 255  
 Invisa sibi bella esse monstrarunt Dii  
 Nec una tandem signa miserunt necis.  
 Micans cucurrit fulgur hostiles super  
 Hinc inde classes, iter et obliquum secans  
 In nostra tandem se impulit moriens loca 260  
 Nebulaque posuit obsitum multa caput.  
 Cervice recta vulnus expectans sacrum  
 Victima sub ictu pinguis ante Aram stetit;  
 Sed ut securim dextra libravit, metu  
 Concussa volucris templa deseruit fuga. 265  
 Quid ille, turmas nocte lymphatas agens,  
 Caeci tumultus dubius exoriens pavor?  
 Cum quisque inanes metuit auras, nescius,  
 Quidnam timeret omnibus, nulli timens,  
 Conserere bello nolui oblato manum; 270  
 Sed militi cedens, prior didici a meis  
 Vinci, ut docerem ab hoste superatum quoque.  
 Admota ut acies, mansit in conspectu iners,  
 Ambigua et amens horruit subito gelu,  
 Pallensque vultus terga respexit metu, 275  
 Sensuque dextras tela fugerunt pio.

- Ast ubi canorae bella sonuerunt tubae,  
 Fervidus in hostes hostis hinc atque hinc ruit  
 Et glomerat acres vulneri intentans manus.  
 Concurritur utrimque: gravior Pharsalicis 280  
 Fit pugna in arvis, ulla quam cernat dies.  
 Cetera silere lugubris cogit dolor;  
 Seu fata seu Caesar, vel infernae Stygis  
 Turbae nocentes vel magis fuerint Dii,  
 Vincimur, et aequa montibus tellus iacet 285  
 Constrata tot funeribus, et rigui fluunt  
 Amnes cruore civium. sic, o Duces,  
 Sic astra petitis? perdit ac victi carent  
 Sepulchro, et agros pondus externos premit.  
 Tumulata tellus ipsa, subsidit gravi 290  
 Late cadentum civium cumulo minor,  
 [Nec astra cernens assuetis vescitur]  
 Ne videat illud noxium caeli iubar,  
 Pluvium quod illi noster effecit cruor.  
 Constiti ego et amens horruui tantum nefas 295  
 Vertique vultum stragis aspectu horridae  
 Scelusque scelere maius extremum dedi,  
 Turpi recedens ipse Dux belli fuga.  
 Haec ille moriens fulgor, haec subitus pavor  
 Ferrumque id hostia fugiens tandem volunt. 300
- Theo. Resiste paulum fortis et priscos voca  
 In corda sensus; redeat hinc illud, precor,  
 Quod regiae frontis fuit amicum decus.  
 Quamvis in acie iniqua sors fuerit prior,  
 Secunda nobis vota permisit tamen 305  
 Et iam serena luce prospexit Deus.
- Pomp. Vtramque damno, sceleris ex aequo ream,  
 Cum fudit acies cumque defendit fugam.  
 Sors illa vicit, ista fugientes videt:  
 Plus haec favendo nocuit, ut peior nece 310  
 Vita aestimatur, turpe quam maculat scelus.  
 Vicisse vetuit; iuvit, ut fugerem: execror,  
 Quidquid favoris fata praestiterint mihi.  
 Si sic iuvandus sum, velim, noceant magis,  
 Ne vilis adeo pateat in probris fuga. 315
- Theo. Decora, fortis, valida, Romano Duce  
 Sat digna potius illa, perniciem fuga  
 Quaecumque vitat, acrior ut armis queat  
 Stetisse campo. ad istud incolumis modo  
 Servaris, ut propinqua Ptolemaei tibi 320  
 Auxilia iungas. nec tueri te abnuet,  
 Cui totus ore spirat antiquus Parens,

- Senileque viget iuvenis in vultu decus,  
 Vt, quas Parens debuerat, has reddat memor  
 Puer ille grates. simile simili gignitur, 325  
 Totamque se transfundit in prolem suam  
 Pietas avorum. [quisque maiorum decus  
 Auxisse gaudet.] clara sic virtus parit  
 Sese et labantes vivida aeternat vices.
- Pomp. Privata virtus se minoribus inserit 330  
 Persaepe, avoque exoritur et similis nepos.  
 Non illa Regibus favet sors: nascitur  
 Aut fit parenti absimilis; immutat statum,  
 Pervertit Aulam, ubique leges innovat.  
 Rex Regna dives teneat, id tantum cupit: 335  
 Huc aequa iniqua vertit, officii immemor,  
 Iniuriarum solum et odiorum memor.  
 Nec curat ingrati notam, sed civibus  
 Libens relinquit, gratiae ut reddant vices,  
 Ipse altiora mente concipiens bona. 340
- Theo. Exigua merita facile tegit oblivio,  
 Nec subdito Rex gratiam civi refert,  
 Ne se minorem statuatur; at Regi refert.  
 Tam insigne facinus ergo ab animis excidet?  
 Nec te iuvabit ille, qui vitam tibi, 345  
 Qui Regiam acceptam refert? non aureis  
 Defendet opibus, quas ope recepit tua?
- Pomp. Falleris: in animo servat et sumptu levi  
 Rex merita pensat levia; sed damnat magis,  
 Letho rependens, magna, quae tenui nequit 350  
 Pensare praemio. nec ulli umquam velit  
 Ita debuisse, ut metuat et Regno et sibi,  
 Si gratus illi reddat; aut si det minus,  
 Vt sic precaria manu regnet.
- Theo. Patrem  
 Non ergo patriae agnoscat et clarum Ducem, 355  
 Quem sibi Parentem donat extincti loco  
 Sacer Senatus? quem senis tabulae petunt  
 Auletis?
- Pomp. haud hic Regna Pompeius potest  
 Vmquam tueri, qui exul et victus fugit.  
 Non hunc vocavit senior auxilio virum; 360  
 Sed eum triumpho nobilem quondam Africo  
 Et ense magnum et mente maiorem, Tagi  
 Qui propter undas victor extremo manum  
 Cum Sole sparsit, qui rebelles perdidit,  
 Idemque pacis pariter ac belli arbiter. 365

- Rex Pharius obiit. esto, nunc vivat; tamen  
Pompeius obiit: fata commutant viros.
- Theo. Remitte, precor, exaestuantem impetum  
Mentisque desperantis insanos procul  
Averte fluctus; nec ea sollicitum prece 370  
Orasse pudeat sceptrum, quae quondam pio  
Servasse Regi iuvit et merito tua  
Vocare possis.
- Pomp. egone ut incautus senex  
Pueroque fidam?
- Theo. non adhuc fraudes puer  
Didicit; tenello corde simplicitas viget 375  
Purusque candor.
- Pomp. non adhuc didicit fidem.  
Sat cuique celeres sponte nascuntur doli  
Magisque Regi; sique non adsint, mea  
Etiam in fideli sors adinveniet dolum.  
Sed quis modo tam subitus aures perculit 380  
Sonus? unde militum haec repente cohors?
- Theo. adest  
Armis onustus miles, illustrem tenet  
Cristaque et auro galeam; hic in clypeo vetus  
Insigne portat, ille thoracem sequens  
Nexumque segmentis sagum nitidis gerit. 385

### Achillas, Pompeius

*Achillas Pompeio et munera offert nomine sui Regis et fidem pollicetur atque  
amicitiam, arcana cum eo collaturus.*

- Ach. Quam dulce Regni nomen et felix bonum!  
Hucusque nitor viribus et animum sagax  
Exacuo et artes, ut potestas denique  
Sit imperandi. non procul aberit a meis 390  
Fortuna coeptis. ope Deorum provehor,  
Semperque vetere maius exoritur recens  
Decus, ut in alta sede consistat gradus.  
Docuisse Regem munus antiquum fuit,  
Quo nostra virtus intimos iniit sinus  
Nitentis Aulae, coepit et facilem sibi 395  
Captare populi gratiam, mox in novos  
Mutare fascis, cuncta consilio meo  
Sub pace regere; nec minus belli potens  
Militibus impero. omen hoc faustum fuit,  
Regi imperasse, dum eius ingenium colo 400  
Luxusque suaves in sero levis otii

Meque altioribus parem titulis gero.  
Sed ecce, Magnus hospes incessu obvius.  
Praeferte dudum munera. o Regum genus  
A stirpe ducens, patriae meritum iubar, 405  
Quem tot remoti longius gentes soli  
Sensere in acri Marte, quid posset manu;  
Cuius triumphis una vix tandem dies  
Optatur, hoste Roma qua domito caput  
Attollat astris. quando Niliacum decor 410  
Is forte Regem manet, ut et partem ferat  
Felix honorum teque bellantem libens  
Sequatur armis, foedus excipiens rogat,  
Vices regendi et bella componas prius,  
Ne vacua solers Regna diripiat soror. 415  
Interea et istud pignus ingenuae cape  
Fidei, verendus arma quae gessit Parens,  
Phariis decora Regibus. [bello duces  
Quicumque Magno advenerit.] tenui dedit  
Quaedam papyro inscripta, quaedam etiam meis 420  
Arcana credidit auribus. peragam celer  
Mandata; ab omni est liber arbitrio locus.  
Pomp. Veram Parentis nosco progeniem sui.  
Commissa tutus auribus reddes meis,  
Qua dives aede Regia nitenti latet; 425  
Grati rependam muneris pretium, Dii  
Si quando laetas forte restituant vices.

## Chorus Pelusiorum

*Liberalitatem muneraque praedicat a Rege oblata Pompeio; et ob confoederationem bene auguratur.*

Cho.	Oppressos miseris discite cladibus	
	Tutari ingenuo pectore providi:	
	Velox adveniet dies,	430
	Gressu quo redeat cito	
	Collucens gemino gratia munere.	
	Ductori Ausonidum foenore cum pio	
	Gratas Isiacus puer	
	Doni restituet vices.	435
	Concordi Charites manu	
	Vatum carmina concinunt	
	Nexas, ut redeat brevi	
	In sese chorus orbita.	
	Has ridens peperit Venus	440
	Partu non gravis unico,	
	Alvum thyrsigeri gerens	
	Pinguem semine Osiridis.	
	His non praegelidas hyems	
	Astringit glacie nives,	445
	Non aestus geminat fera	
	Fronosae Nemees leo,	
	Non illis pluvio cadit	
	Imber sidere defluus;	
	Sed ver purpureum nitet,	450
	Atque auris Zephyrus tepens	
	Circum mollibus evolat.	
	Vultu cana rubentibus	
	Vernant lilia cum rosis,	
	Vestes barbaricae procul	455
	Splendent; non color aureus,	
	Non gemmae, capitis iubar,	
	Nodo sed coma tortili	
	Artem spernit inutilem.	
	Nudae membra nitentia,	460
	Hae prolem Veneris decent	
	Vestes, ut choreas vago	
	Saltu circinet aptior.	
	Sic dantem repetit cita	
	Multo Gratia munere.	465
	Fronti perpetuus decor,	
	Membris grata protervitas,	
	Consertis manibus fides	

Regnat mutua Gratiis.  
Hac est ad Superos tendere pervium, 470  
Hac et Caelitibus te facies parem,  
Queis est praecipui gloria nominis  
Mundo munificam spargere copiam.  
Sic, mortalis adhuc, sis homini Deus.  
Certabunt populi funera post tua 475  
Aras ponere supplices,  
Pingues caedere victimas.  
Sic, quodcumque iuvat, Dei  
Terris nomen habet: sacer  
Vt templis colitur canis, 480  
Vt terris medicum genus,  
Campis herba virentibus.  
Regnum Niligenae pius  
Regi restituit suum  
Dux et pacis amabile 485  
Genti restituit decus.  
Certans officiis puer  
Arcto foedere milites  
Mox addat comes hospiti.  
Regnet Roma superbior 490  
Et tranquilla ferat saecula posteris.

## Actus tertius

### Theophanes

*Ostendit spem vultu tantum simulare Pompeium, at altum premere interim corde dolorem. ipse tamen Regis Ptolemaei, in auxilio afferendo, fidem scrutari cupit.*

Theo. Ictum miseria quod semel cecidit gravi,  
Vt semper omni pectus oppressum malo  
Iacet! ut secundis pavitat in rebus quoque  
Nec umquam ad ipsa laetus exurgit bona, 495  
Quicumque fatis fuit in adversis miser!  
Nimbosa ceu cum saeviit ventis hyems  
Horrensque multa nive sibi resolvit comas,  
Ver pristina tamen signa glaciei tenet  
Rigetque, quamquam aetherea Sol Tauri premat 500  
Terga, et serenus luce transcurrat dies.  
Fortuna felix redeat; afflictos tamen  
Gaudere piget, et rebus haud umquam datur  
Sperare laetis. laeta cui desint, eum  
Angit cupido, luctus, invidia et dolor; 505  
Cui sint, pavores mille sollicitum tenent,  
Ne Fors rapaci repetat instabilis manu.  
Adeo usque felix nullus in terris viget,  
Et fausta sint infestave ex aequo mala.  
At quid peracti temporis fatum queror 510  
Commune cunctis? decuit haec semper Ducem  
Sors aegra Magnum, fronte dum ficta, palam  
Verax, lateret mentis attonitae pavor.  
Conqueritur, haeret, metuit, horrescit, furit,  
Silet repente, et ora purpureus notat 515  
Rubor; inde pallor omnis in vultu redit,  
Omnis recursat, nullus insistit color.  
Heu, quo malorum pondus hoc dirum ruet!  
Formidat hostes, hospitem metuit magis.  
Dolos ubique praevidet, reputat fidem 520  
Speciem esse fraudis seque vix credit sibi:  
Adeo pererrat; quodque in extremis solet  
Adesse fatis, omne consilium perit.  
Sed ipse, rebus qui unus auxilium potest  
Afferre lassus, hospes Isiacus brevi 525  
Aderit, suas et forsani adiungens opes.  
Sic saepe praesens casus oppressos monet

Meliora, quam ratio ferat. victis salus  
 Est una, nullam noscere salutem: loco  
 Cum quid supremo pendet, hoc unum scias: 530  
 Si nil potes sperare, desperes nihil.  
 Socias revisens interim classes, novi  
 Quodcumque maneat, aure pervigili bibam:  
 Quid Caesar audeat, quid hospitio favens  
 Puer; an propinquet agmen, an segnis dolos 535  
 Ancepsque tegat. eventus ingenium reget.

## Cornelia

*Mariti fortunae timens, angitur: Deorum olim amphibologicis responsis et nunc spectro novo Iuliae defunctae territa, ad Deorum opem confugit.*

Corn. Age, tam saevo turbine pressa  
 Mens, heu, tantis victa procellis,  
 Repete o luctus lacrymosa graves.  
 Nullum aegra modum pone querelis; 540  
 Nam quae pateris, vicere modum.  
 Comites, lapsam me regite; dolor  
 Aestuat imo pectore, dirus  
 Incendia tot dum rapida ciet.  
 Heu! quid questus, improbe dolor, et 545  
 Ferus aerumnas cumulans idem  
 Lugere iubes, lugere negas?  
 Privata quisque damna complorat sua,  
 Deflere cuncta Regis uxorem decet.  
 Tu sancta, caelum quae incolis, Pietas, fave 550  
 Aliquando miseris; quosque vexatos vides  
 Satis, futuris aequa ne turbes malis.  
 Feralis omen somnii avertant Dii,  
 Et vana in auras visa vertantur leves.  
 Alterutra teneas fata, Pompei, sequor, 555  
 Vt cumque sequor: inanis aut feriat pavor  
 Aut verus, una adesse me uxorem iuvat.  
 Lesboa nimis exilia non fauste pius  
 Dedisti acerba, nulla cum menti quies,  
 Cum nulla membris esset; absentis metus 560  
 Moerore gemino pectus oppressit meum,  
 Sopor inquietus bella cum visu horrida  
 Spectanda retulit. vidi in hostilem prius  
 Intorta caedem tela, cum haerens vir viro  
 Instabat urgens iamque vincendo fugam 565  
 Suadebat hosti, terga vulneribus premens;  
 Mox et periclis adstiti, heu, quoties tuis!

Te, te per omnes ense minitantem sequi  
 Turmas iuvabat, quando iam victus fugis,  
 Et strage foeda clara, Dardanidum genus, 570  
 Extincta proles iacet in Emathiae solo,  
 Carens sepulchro, nisi tegat in undis cruor.  
 Laccessii, heu, qua voce probrosa Deos!  
 Mendax vocavi Numen, insipiens, leve,  
 Oracla dubio et oris illudens sono: 575  
 'Romulei Proceres, Magnum per bella secuti,  
 Ibitis Emathiam, ponent ubi fata quietem:  
 Altera nascetur Teucrorum a sanguine Roma,  
 Et novus externos circumfluet Albula campos.'  
 Ergone perennis caede miseranda quies 580  
 Istaec monebat? Roma sic vasto aggere  
 Civiliū cadaverum surgit polo  
 Altera? cruentis scilicet ripis fluens  
 Sortes probavit Tiberis. heu! fallax Deum  
 Interpres, ut responsa perplexis latent 585  
 Obscura dictis semper, et certa Dii  
 Ambage utrumque rebus eventum canunt!  
 Heu! me futura, sed magis dubiam lues,  
 Magis timentem cruciat. infernis quid, o  
 Iulia, relictis sedibus vultu truci 590  
 Terres? per umbras noctis arcae tua  
 Nam visa imago maior humana, Stygis  
 Abripere ad undas Magnum et amissos diu  
 Thalamos repetere meque sectari, furens  
 Diris. nocentes desine minari faces, 595  
 Iulia: sat ipse Caesar immanis premit.  
 Comites laborum, sortis extremæ vices  
 Passae, citato templa subeamus gradu;  
 Placemus umbras coniugis, mox et Deum  
 Votiva sacris thura ponantur focus. 600

### Chorus Romanarum Mulierum

*Deplorat civile bellum et patriae ruinam ex dissidio post mortem Iuliae inter socerum et generum orto.*

Cho. Sequimur miserae, turba doloris  
 Captiva tui; casusque prius  
 Lugere lubet, quos vice nulla  
 Reparare potens Fortuna queat.  
 Eheu! ubinam cernimus altae 605  
 Moenia Romae, qua Tiberis udo  
 Labitur alveo? dolor, erumpe:

Non tenuis adest causa querelis.  
Illa maritum vulnere plorat  
Raptum; natos hinc illa gemit, 610  
Altera fratrem. non quaeque suam  
Queritur stragem; quicumque ruat,  
Poscit lacrymas undique nostras.  
Felix bellum, cernere laeta  
Fronte ruinam cum datur hostis. 615  
Non hostis adest, licet hic bellum  
Adsit; campo quicumque ruat,  
Poscit lacrymas undique nostras.  
Perimit parentem natus, et natum parens;  
Fratri cruenta frater impendet nece: 620  
Quicumque pereat, civis hic noster perit.  
Qui tanta dirus bella commovit furor?  
Aut quae libido caeca regnandi tenet?  
Eheu, propero, Iulia, casu  
Quantas trahis in Tartara tecum 625  
Tetra ruinas!  
Paris, heu, quantas patriae caedes!  
Iulia claram perdidit Urbem  
Moriens; alvo Iulia tumida  
Enixa, necem peperit terris. 630  
Vteri noctem tenebris Ditis  
Cum commutat parvulus infans,  
Tetro mundum turbine versat.  
Illa parentem pace sequestra,  
Illa maritum iunxit mulier; 635  
Stant unius thalamo nuptae  
Publica veteris iura Senatus.  
Non tam fortis Regna tuetur  
Miles, non tam ditior auro  
Rex, quam coniux foedera firmat, 640  
Regis mollit sedula mentem  
Et bellandi temperat iras.  
Huc, nisi prohibent pocula Lethes,  
Memor Elysias linquens umbras  
Respice cives, Iulia, miseros: 645  
Vna parentem potes, una virum  
Regere et fessis una quietem  
Ferre et, dominae quidquid superest  
Gentis, patriis reddere terris.

## Chorus Pelusiorum

*Romanarum calamitatum se socium profitetur, vexationis suae originem repetens a fabula Pelei, fundatoris Urbis.*

Cho.	Caede fraterna truculentus olim	650
	Asperam Peleus metuens parentis	
	Aeaci frontem, procul egit Vrbe	
	Gressum ab Aegina; peregrinus oras	
	Mox ad externas properavit. illum	
	Excipit campis lapidosa Trachin,	655
	Horrido Trachin memoranda casu;	
	Qua maris Regem rapuit procella,	
	Qua maris sese dedit in procellas	
	Vxor aeternum lacrymosa, mortem	
	Ore Ceycis querulo insecuta.	660
	Alitem Peleus liquidas per auras	
	Vidit ut Regem volitare utrumque,	
	Fugit infaustae regionis aedes;	
	Non tamen fatum profugus reliquit.	
	Tecta crudelis veniens Acasti,	665
	Quanta te, Peleu, tulit, heu, charybdis!	
	Hospitae foedos fugiens amores,	
	Dum magis ponti scopulis rigens et	
	Integer perstas precibus, refundens	
	Illa tentati sceleris furorem,	670
	Credulo dixit nimium marito:	
	'I, fave oppressis, miseris patentem	
	Regiam praebe, tuus incubanti	
	Adstitit noctu violentus hospes.'	
	Credit atque iram geminans Acastus	675
	Ac dolos secum meditans latentes,	
	Ducit in caecos nemorum recessus,	
	Pelion qua se spatiis per auras	
	Inserit caelo. miser hic sopori	
	Membra dum tradis, redit ille ad Urbem	680
	Tramite occulto, levis ut iaceres	
	Praeda Centauris. subito biforme,	
	Nube prognati, genus evagatur.	
	Cum Dii tantum vetuere crimen,	
	Mulciber iussu gladium paterno	685
	Lemnius portat: rapis arma velox;	
	Inde iam caesim glomerans rotasve,	
	Nunc petis punctim feriensque vulgus	
	Omne prosternis cumulo iacenti.	
	Inde te ultorem sceleris dolique	690

Thessalus sensit modo gratus hospes,  
Sensit et ponti domitrix Iolchos.  
Non tamen Patris potuere mentem  
Flectere hi casus rigide severam,  
Bella non tantis agitata fatis, 695  
Turpe non saevi exilium pericli,  
Non tot emensi pelago labores,  
Prima cum intactum violavit aequor  
Navis et remo domuit profundum.  
'Impiae', dixit, 'manet expianda 700  
Noxa adhuc caedis. vagus exul erra,  
Nili et undosum prope littus Urbem  
Conde, purgamen sceleris, tuoque  
Nomine dona.'  
Paruit natus patriaeque primus 705  
Auctor hic nobis fuit; inquietae  
Noscimus culpae mala: posteri nos  
Peleos poenam luimus nocentis;  
Semper, heu, moestis agitamur undis,  
Semper insanos patimur tumultus. 710  
Turba, Romani, miseranda, Cives,  
Sortis infidae comites eisdem  
Nos habes tectis; miseros vetusta  
Lege fatorum sequimur dolentes.  
Ista nascenti patriae cucurrit 715  
Stella, dum crimen lacrymans piavit  
Pauper et exul.

## Actus quartus

Achillas

*Politicus irretitum gaudet Pompeium, multis impie et Leges et Iustitiam ipsasque adeo Aras et Deos criminatus.*

Ach. Bene est: paratis Magnus implicuit plagis  
Sese, expetitam praestitit dictis fidem.  
Vicimus: amicae frontis illectus dolis 720  
Hospitia tuta credit et rursus fera  
Indicit hosti bella, rursus concipit  
Iras; libido caeca sic Regni vocat.  
Iam fraude captus est: perage totum nefas,  
Solers Achilla, perage; non Regem magis 725  
Ad summa ducit facilis aut brevior via  
Quam, quae dolosis implicat laqueis iter.  
Omnis potenti regnet in ferro salus,  
A fraude vires accipit ferrum suas.  
Si certa iaculo signa pertingas, nihil 730  
Refert, an undas ictus, an ventos secet:  
Quacumque transit, omne si punctum tulit,  
Iam vicit. unus laude vel probris notat  
Humana finis facta: quo sistas gradum,  
Non qua pererrans proferas, cautus tene. 735  
Regnare summum est fas, bonum et summum decus.  
Quodcumque regnandi geras causa, trahet  
Illinc decentis nomen et fas et bonum.  
Quid iura? Reges illa constituent sibi.  
Quid fraus? fides vocetur. et pudor et fides 740  
Pietasve mutant Regis arbitrio vices.  
Effinxit ille Numen in caelo Deum  
Inane et Aras posuit, ut durum genus  
Ferosque populos arte mulceret pia,  
Donec recedens mentis ingenitus furor, 745  
Metu Deorum facile servitio premi  
Libensque Domini posset imperium pati.  
Quos Ara mites reddit, hos Aulae parat  
Regique fidos, seque Rex templis magis  
Ponens colendum, nomen inscribit Dei. 750  
Hac arte priscus Sacra constituit Numa  
Cultusque Superis. una regnandi tenet  
Eademque mens, non una regnandi tamen

Fraus; at recenti semper integitur dolo  
 Mutatque nomen. nulla te patriae movet 755  
 Suadetque bellum, voce quam iactas tenus,  
 Romane, pietas. Roma iam dudum perit;  
 Hinc inde metuit, Rex sit e vobis uter.  
 Oderit utrumque. dira te in clades vocat  
 Etiam cupido. nosco regnandi vias; 760  
 Iam iamque celeri forte percurram gradu,  
 Et haec superbum Regis aliquando geret  
 Diadema frons, et sceptrum fulgenti manus  
 Auro decora attinget: at ferrum prius  
 Galeamque stat gessisse; misceri decet 765  
 Aulam cruore. in hoc parabo dexteram;  
 Experiar id cervice Romani Ducis,  
 Regumque caedi tela praeludent satis.

### Pompeius

*In utramque partem perplexus, tamen fidere et experiri recusat.*

Pomp. Auxilia quisquis, sede iam profugus sua,  
 Externa quaerit, cuncta metuentem iuvat 770  
 Haerere curis seque, in incerto malis  
 Vtrimque pressum, credere minori tamen.  
 Vbique multum fraudis et fidei parum  
 Nactus, miseriis velut in extremis solet,  
 Requiro mentis omne consilium meae 775  
 Versoque mecum dubius; ac tandem volens,  
 Quodcumque damno, peius ut cogar sequi,  
 Placet experiri gentis ancipitis fidem  
 Et dona pueri. levius his quicquam tibi est,  
 Queis, anime, credas? siste praecipitem gradum, 780  
 Deflecte procul et, dum licet, laqueos fuge.

### Theophanes, Pompeius

*Multa invicem disputant de suspecta Regis fide.*

Theo. Spes una Latiae gentis et patriae decus,  
 Romane Ductor, segnis hinc abeat mora.  
 Lagaeus hospes omne consilio senum  
 Suadente foedus iunxit et socius tibi 785  
 Spondit arma; iamque propiori gradu  
 Admovit aciem, mille comitantur Duces  
 Et mille currus. ipse se medium tenet

	Vultu verendus puer, et auro lucidum Capitis coronat tegmen; hinc illinc latus Annosa circum turba seniorum fovet.	790
	Te, te requirit modo, te in amplexus vocat. Propera! quid haeres dubius incessu gravi? Tranquilla, tuta cernis, et tutum sinum et Nostris quietum casibus portum prope: Confide tandem.	795
Pomp.	nimia ne nos hic, vide, Fiducia nocens fallat. alto quam bene Regum latentes impetus confers mari! Quod facile manet, id vertitur subito fretum Et, qua natabant levius, hic sorbet rates.	800
Theo.	Adversa passus quisquis est, nimium timet!	
Pomp.	Miser periclo credulus nimium est suo.	
Theo.	Iam foedus hospes firmat.	
Pomp.	an potius dolos?	
Theo.	Quod regia manus statuit?	
Pomp.	an pueri magis?	
Theo.	Regum valida semper manus.	
Pomp.	fallax quoque.	805
Theo.	Senatus illum magnus hortatu regit Irasque dictis mulcet et prohibet nefas.	
Pomp.	Nascetur horum citius e numero dolus, Ni forte Rex concipiat.	
Theo.	in tantum scelus Omnes repente voce concordi Patres Coïsse credis?	810
Pomp.	scelera statuuntur brevi.	
Theo.	Cunctatur ille.	
Pomp.	tempus ut iustum paret Sceleri patrando an, ut datam revocet fidem?	
Theo.	Iam dona misit.	
Pomp.	dona Regnantum time Infensa semper.	
Theo.	mox feret opem.	
Pomp.	Caesari?	815
Theo.	Cui dona misit.	
Pomp.	timeo donantis manum. Queis me tuerer, arma consulto dedit, Non queis ferirem. crede, Regem commodo Suo favere semper; in eum conferet Officia potius, quem relaturum putet Maiora. quicumque miser, hoc ipso fuit, Quod reperit omnes undique ingratos sibi. Donare Regis, foenerari dixeris	820

- In cive; falsis illa nominibus tegit.  
 Consilia solers nutibus reddit suis 825  
 Congrua: probatur si quid, hoc totum sibi  
 Vindicat; iniqua coetui adscribit Patrum.  
 Damnare simulans, vertit in laudes suas  
 Et fas nefasque; civium liber metu,  
 Amore gratus ipse nec Regno timet 830  
 Inhiare, quos tam vulgus invisos habet.  
 Sic Aula felix vigeat, infelix tamen  
 Prematur inde civis. hanc Romae luem  
 Arcere volui, artes et ingenium improbi  
 Noscens tyranni; fata sed prohibent viam. 835  
 Ponam dolosis victus ut laqueis pedem?  
 Theo. Serum est cavendi tempus. a tergo ferus  
 Instabit hostis: medius hinc illinc times.  
 Decerne tandem teque in alterutram para  
 Aliquando sortem.  
 Pomp. eatur. effugium mihi 840  
 Si forte manet, hoc nititur patriae salus.  
 Haec me timentem reddit, haec retinet gradum.

### Chorus Pelusiorum

*Prae Regum sollicitudinibus et periculis humilem vitam laudat ac sacrificiorum Aegyptiorum cultum.*

- Cho. Anceps dubio trepidat gressu,  
 Curas secum mille volutans,  
 Tandem gradu citato 845  
 Abiit; furente qualis  
 Mentis impete devius  
 Sortis arbitrio levi  
 Cedit impatiens malis.  
 Quanti, heu, Regis corda tumultus 850  
 Quantique premunt undique casus!  
 Expers somni nocte quietem  
 Nescit, vario torquet sese  
 Ipse rotatu; non mensa famem  
 Bene compescit, dum timet illic 855  
 Latuisse dolos. nulla est Regum  
 Libertas, sed splendida servi  
 Colla coronant auro. miseros  
 Sic illudens Fors, nitida sibi  
 Mancipia trahit. quo quisque super 860  
 Moderata pedem proferet audax,  
 Erit infelix nimis hoc ipso.

Pax inest humili loco:  
 Procul hinc abeunt metus  
 Spesque sollicitae et fraus; 865  
 Bella non strepitu vocat  
 Tuba, nec raucis forum  
 Litibus dirum sonat;  
 Non opes avida manu  
 Civium cumulat, suae 870  
 Grande vectigal domus,  
 Sed levem retinens colum  
 Fila deducit parens:  
 Pollice in prono citat  
 Turbine intorto teres 875  
 Vellus; hinc glomerans legit,  
 Iugo mox telam locans  
 Leve subtegmen ciet,  
 Parvulos ut paupere  
 Induat panno suos. 880  
 Vivitur parvo bene,  
 Dulcis et sobolem quies  
 Educat: nulli dolus  
 Texitur, nulli fides  
 Frangitur. templis pium 885  
 Apin at colimus Deum,  
 Nobilem lateri notam  
 Cornibus lunae gerens.  
 Aure non surda preces  
 Excipit: seu candido 890  
 Ductus ordine gentium  
 Venit ad thalamos piger  
 Memphin, ut fiat sacer;  
 Sive curriculo sibi  
 Constituto temporis 895  
 Redit ad fontem senex,  
 Mersus ut tandem mori  
 Vulnere accepto queat;  
 Seu futura retexere  
 Consulenti blandior 900  
 Nec ferox renuit coli  
 Et cibum placide capit.  
 Fata quos modice premunt  
 Pauperes, humili casa  
 Vigeant; vano haud iuga 905  
 Spiritu montis petant.  
 Nactus hanc sortem puer,  
 Hac libens moriar senex.

Sed vox querelis moesta quae circumsonat?  
Romulea tristi turba ploratu suam  
Heram reducit exul et dextra levat.

## Actus quintus

Chorus Romanarum, Cornelia

*Queritur inter perpetua bella se vivere deque malis illorum.*

- Cho. Adversa semper fata Martigenam premunt  
Vrbem. vetusta lege lacrymarum sumus  
Non insolentes: bella nascentem Parens  
Edocuit Vrbem; crevit illa armis ferox 915  
Sevitque bellis bella. geniales thoros  
Viduata linquit uxor et, thalamo virum  
Frustra requirens, revocat absentem, moras  
Perosa belli; aut hostibus ferro dolet  
Servire vinctum aut caede praereptum gemit. 920  
Vix flore primo deserit patriam puer  
Et castra sequitur; omnis assidue malus  
Mavors perennat. hoste perdomito plagis  
Longe remotis, peior exoritur domi  
Hostis rebellans civis et geminat mala. 925  
Rite o precantium aure si facili preces,  
Dii, imbibistis, tollite eventus procul  
Male ominatos: vertite in melius Duci  
Magno imminentem et ultimam gentis luem.  
Caeli per auras mille volitantes aves 930  
Hinc et calentes inde fibrarum notae  
Deumque fata quot iterum exterrent malis?
- Corn. Quacumque se circumferet Cornelia,  
Virum secuta, Numen invisum feret.  
Dardania fatis Roma turbatur meis, 935  
Meus iste casus; gravibus aerumnis mea  
Vos damna vexant. una ego Metelli domus  
Feram ruinas; vigeat illa, atavis diu  
Quondam decora. quidquid adversi Deus  
Pepercit illis, omne Fors cumulat mihi. 940  
Exilia thalamis mereor, in clades viros  
Damnata trahere, semper ut viduos lares  
Servare cogar. divitem Crassi domum,  
Vix et superbum limen ascendi prior;  
Vix grata iuvenem iunxit amplexu Venus, 945  
Repente miser abripitur Assyria manu  
Moriturus. illum ficta Parthorum fuga  
Dolis fefellit; dumque fugientes procul

Ferro secutus instat a tergo minax,  
 Patrium relinquens agmen, in medium nemus, 950  
 Qua rara quercus fronde planitiem tegit,  
 Devenit, altis qua per umbrosum viget  
 Quacumque ramis, lenis et cedens iter  
 Spatiosam ubique vallis exsolvit viam.  
 Tum versa telis tota Parthorum cohors 955  
 Repente iaculis mille confossum tegit.  
 Nec ira tamen in caede barbarica stetit.  
 Informe tabo, exanime et abscissum caput  
 Clamore multo rabida praefixum gerit  
 Late per auras, quaque bellantes videt 960  
 Cessisse socios quaque Romanum decus  
 Mediis in armis strage multorum furit.  
 Sed quid vetusta conqueror dudum mala?  
 Maius peractis terret addendum nefas.  
 Sequitur idem Corneliam fatum tuam, 965  
 O Magne coniux; hostis haud Partho minor  
 Caesar cruentus sequitur et ferrum vibrat.

#### Nuntius, Cornelia

*Cornelia discit a Nuntio caedem mariti fraudulentam; et post lamenta, furore plena, statuit ulcisci facinus ac tandem marito suo commori.*

Nunt. Occidimus: omnis, quae modo patriae fuit  
 Speranda ferro, periit a ferro salus.  
 Non est, quod ultra gravior effundat minas 970  
 Fortuna, vires quando consumpsit suas.  
 Periere cuncta; plena sic saties tenet  
 Tandem malorum, ubi locus haud superest malis.  
 Depone lacrymas, turba, leviores; iuuet  
 Laniare pectus: quisquis exundet cruor, 975  
 Non ille iussus vulnere immani fluet.  
 Praevertite munus hostium, fatum decet  
 Vrgere propere, quando remorari nequis.  
 Ne solve sensim capitis impexos diu,  
 Rescinde crines ocyus; celeri manu 980  
 Discerpta circum colla canities fluat.  
 Tuque, o Metelli germen infelix, decus  
 Felicis Aulæ, parce dicenti, precor.  
 Corn. Non rude miseriis, bene paratum conspicias 985  
 Per damna pectus. omne concipiens malum  
 Animo praeivi; quidquid extremum solet  
 Adesse, teneo, triste, miserandum, horridum,  
 Crudele, dirum quodque vix fieri queat.

	Effare casus asperos, totam rei	
	Expone seriem; ede! esse me miseram iuvat.	990
Nunt.	Vt magnus hinc abscessit Ausoniae parens,	
	Ignarus, Urbis unde praesidium suae,	
	Vnde arma peteret, explicans recta gradum,	
	Tandem citato tendit ad littus pede,	
	Qua nostra classis haeret. adversum anchoris	995
	Iactis in aequor, tota fidorum manus	
	Vtrimque sequitur, uno et in vultu Ducis	
	Defixa, varias mentis observat vices.	
	Non unus ipse, frontis obductae modo,	
	Modo explicatae, gemina defigens humo	1000
	Lumina, silet nunc, nunc per obliquum rotat	
	Mussatque secum tacitus. incerto rei	
	Dum pendet animo, cernit ex alto ratem	
	Properare cursu: attollit hic vultum anxius,	
	Quid illa portet; dumque cedenti freto	1005
	Adventat, ad se dexteræ nutu vocat.	
	Vt iussa sistitur socia pinus, refert	
	Infensa, saeva et oris haud patiens moras	
	Et dicta dictis implicans, hostem prope	
	Vrgere ferro nuntiat, gnarum fugae	1010
	Viaque: rebus si quod effugium paret,	
	Festinet. olli dirus in vultu furor;	
	Haesit repente, torvus obliqua polum	
	Intuitus acie terque supplodens pede,	
	Infremuit ore: 'adeone saevitis, Dii?	1015
	Adeone fixum mente Romanas opes	
	Et libera Patrum iura et omnino pios	
	Delere coetus? ergo vesanae dolos	
	Tentare cogor gentis?' hoc dicto, imperat,	
	Rostrata pinus propior accedat solo;	1020
	Qua vectus, unam, quae hospitis superest, fidem	
	Exploret. ecce, regio iussu celer	
	Venit faselus, parvus et sordens situ,	
	Cui turpe veteri putret in ligno latus,	
	Rimis fatiscit, malus in medio tremit,	1025
	Non bene locatus; tenuis et circum rudens	
	Rescissa stringit vela, et infracti salo	
	Remi pererrant. hanc ut aspexit ratem,	
	Non regiam, non cultam et auratis notat	
	Signis carentem, renuit aspectu truci	1030
	Pellitque longe. placidus at iuncta prece	
	Invitat illum et voce submissa rogat	
	Solers Achilles: 'non alia pontum secat	
	Quam parva pinus, tenue qua stagnat vadum	

	Et pauper undae littus; infidum subest	1035
	Brevique tractu classibus magnis iter.	
	Excepit aure Magnus haud tuta, sono	
	Mentita blando verba; nec dubius, dolum	
	Subesse dictis, ora convertens, suis	
	Fatur: 'tyranni quisquis ingreditur domum,	1040
	Servus repente fit, licet liber siet.	
	Hoc foedus aut dissolvat aut firmet caput.	
	Eatur.' ergo ponit in cymba pedem;	
	Et rapitur illinc vecta, transcurrit rudi	
	Remo fluentes verberans undas cita.	1045
	Romana longe classis eventum timens	
	Haerensque, in uno immota defigit Duce	
	Oculos et animis prope stat abeuntem sequi.	
	Ast ubi recedens littore adverso appulit,	
	Qua regia adstat sede Niliacus puer,	1050
	Patuere fraudes subito, et infandum scelus	
	Retexit hospes. qualis in taurum, levi	
	Somno iacentem, gemina bellantum ruit	
	Proles leonum, et alter in iugulum ferox	
	Desaevit ore et alter invadens sinus	1055
	Discerpit ungue; haud ille pugnandi potens	
	Facilis cruentis praeda vulneribus iacet,	
	Sic dira circum turba, ter ferro petens	
	Adorta Magnum terga, cervicem, caput	
	Transadigit ense. occumbit exanimis; cruor	1060
	Et hinc et illinc caede purpurea fluit.	
Corn.	Discede tellus, scinde Tartareo specu	
	Ab usque mundum, conde barbariem sinu	
	Late profundo. tuque, dominator freti,	
	Absume diros fluctibus, sorbe impios.	1065
	Quis hic nefandis horridus monstris locus?	
	Quaenam ista regio? Colchis, an campis Scythae	
	Passim vagantes? ubera Hyrcanae viris	
	Tigres ministrant? cautibus an horrens magis	
	Emittit illos Caucasus? quidnam meus	1070
	Commeruit umquam et hostibus coniux pius?	
	Quis te calenti ponet elatum rogo	
	Humoque condet?	
Nunt.	una non eius potis	
	Texisse cineres urna. ut infandum scelus	
	Illud peractum est, Regis imperio caput	1075
	Pallens in auro nuper avulsum locant.	
	Mox ipse vultu laetus excipiens puer	
	'Accede, Caesar', inquit, 'hoc gratus tibi	

- Munus paravi.' ast interim invisi maris  
Supinus ora truncus extrema iacet. 1080
- Corn. Haec ipsa Crassum adegit ad Carrhas lues.  
Vt fata eisdem saepe nos urgent malis!  
Diversa quamvis mutet infelix loca,  
Non damna vitat: sequitur huc illuc comes  
Insana Erinnys. video funestam undique 1085  
Instare turbam: liquit horrendae Stygis  
Aliquando stagnum dira Tisiphone, comas  
Impexa turpes anguibus; multa face  
Quatiens flagellum tristis Alecto furit  
[Huc grande rupto nube pallida genus] 1090  
Totumque oberrans foedat astrorum decus.  
Vidi ipsa thalamis improbas quondam meis  
Praeire furias. tam nocent Corneliae  
Connubia terris? ergo tot perdens viros  
Superero monstrum? ergo non poenas luam 1095  
Tandem malorum? trahe per ardentis aquas  
Acherontis imi, merge Cocyti vadis  
Me, me nocentem; pone flammanti ream  
Phlegethontis alveo, adiunge poenarum mihi,  
Megaera, quidquid noxias animas premit. 1100  
Cessas? mihi uni parcis infensae pia?  
At cessa; et ingens poena tunc vitae datur,  
Satis cruenta, quando stat votum mori;  
Vel ipse laeto vinceret vultu meam  
Coniux decorus poenam et ipsam iudicis 1105  
Molliret iram. o ego per inferni loca  
Elysia Ditis raperer! o tecum ferus  
Me quoque tulisset ensis!
- Nunt. infidi hospitis  
Linquatur ora citius, et celeri fuga  
Abiisse liceat: concita celerem gradum. 1110  
Effugia classis praebet undanti freto;  
Iam vela in altum laxat et cursum citat.
- Corn. Ibo, ibo et ipsum Regis invisi caput  
Adoriar armis; ibo et evellam manu  
Hiante ab ictu alteque perfosso sinu 1115  
Cruenta Regis corda. femineas quoque  
Delectat usque sanguis et ferrum manus;  
Vnaque nec unum facinus aspiciet dies.  
Vlciscar ipsa scelus et incurvo fremens  
Scrutabor ungue pectus; et, quidquid subest 1120  
Praecordiis, id omne discerpens, cavas  
Tractabo sedes dextera, et laceri sitim  
Sedabit hostis multus arentem cruor.

Mox ulta caedes, tela convertam libens  
Nostroque figens pectori, concors viro  
Romana mulier propior extincto cadam.

1125

Finis

## Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt die dem Pseudonym 'Philomathus' zugewiesene zweite, überarbeitete Ausgabe von 1654 mit ihren Nachdrucken 1656, 1660. Die Erstausgabe von 1645 wurde verglichen, ebenso die neuen zweisprachigen Editionen von Hugenroth (1999, nur Faksimile der Ausgabe von 1656) und Barthold (2003).

Für den hier vorgelegten Text ist bewusst gegen die wertvolle Edition von Barthold und die von ihr zugrunde gelegte *editio princeps* des Wilhelm von Fürstenberg (1645) die zweite, verbesserte und letztgültige Auflage des Ferdinand von Fürstenberg als Grundlage gewählt (1654; 1660 nur für 651f., 656, 661f., 873, 885f.). Ferdinand, der sich 1652-1661 auf Einladung von Chigi in Rom aufhielt, preist seine überarbeitete Ausgabe brieflich als „cultior“; ebenfalls brieflich ist bezeugt, dass die Bearbeitung im Auftrag des selbst mit seinen jugendlichen Formulierungen nicht mehr zufriedenen Chigi erfolgte und folglich ohne jeden Zweifel von ihm autorisiert war. Da die zweite Fassung mit geringfügigen weiteren Korrekturen sogar zweimal nachgedruckt wurde und da alle drei Drucke der zweiten Fassung zu Lebzeiten Chigis (1599-1667), des damaligen Papstes Alexander VII, erschienen sind, ist für eine moderne Edition auch eben diese Textkonstitution zu Grunde zu legen, die mit Wissen und Willen ihres Autors als endgültige Fassung verbreitet wurde. Die abweichenden Varianten der Jugendfassung sind im folgenden notiert (hier beibehalten für 21, 497 sowie die Interpunktion 88, 1068; umgekehrt folgt auch Barthold an folgenden Einzelstellen der Ausgabe 1654: *A Aegyptum*, 304, 309, 485f., 518, 660, 678, 755, 836, 852, 928, 1093). Die Verszählung berücksichtigt die ursprüngliche Anzahl von 1126 Versen (1645) gegenüber der um 5 Verse gekürzten Bearbeitung mit 1121 Versen (1654, ohne 72, 292, 327b-328a, 418b-419a, 1090); die Zählung von Hugenroth ist mit 1122 Versen fehlerhaft.

Gewiss ist Barthold und vor allem Zwierlein in einem Kapitel im eigenen Namen in Bartholds Dissertation im einzelnen ein verdienstvoller Nachweis gelungen, dass die Änderungen auf den Herausgeber, Ferdinand von Fürstenberg zurückgehen - nicht nur Verbesserungen von Druckfehlern einer ersten Auflage, sondern echte Varianten als Beleg für eine Überarbeitung des Textes (p.V, X, S.38 „ohne Chigis Mitwirkung“, Zwierlein S.319-354; vgl. auch bereits Hugenroth S.10). In einer modernen Edition jedoch von einer von ihrem Verfasser später selbst abgelehnten Jugendfassung auszugehen ist zweifelhaft; zudem ist in Frage zu stellen, ob es sinnvoll ist, heute in einen an Einzelstellen offenkundig unbefriedigenden Text konjizierend einzugreifen (265, 419a, 663, 841, 1090), obwohl zeitgenössische Varianten in einer vom Verfasser autorisierten Überarbeitung vorliegen, und dies zumal angesichts der Prominez des Verfassers. Inwieweit Chigi selbst bei der Überarbeitung beteiligt war, ist unerheblich; entscheidend ist allein die Tatsache einer von ihm autorisierten Verbesserung und mehrfachen Verbreitung dieser zweiten Fassung.

Zwierleins Argumentation kritisiert mit sehr großer Gründlichkeit und Präzision jede einzelne Veränderung Ferdinands und erweist schlüssig ihre minderen Qualitäten (vgl. die Klassifizierung S.352). Wissenschaftlich korrekt sind Zwierleins Folgerungen jedoch nicht, vgl. z. B. S.322 „[...] verstößt gegen das klar erkennbare Kunstwollen Chigis, kann also schwerlich von ihm selbst stammen oder von ihm autorisiert sein.“, S.326 Anm.950 „[...] können nicht das Plazet von Chigi selbst gefunden haben“, S.328 „Das Ergebnis des Eingriffs hätte also wohl Chigi nicht eben sehr beeindruckt. [...] hätte er sich schwerlich zufrieden geben können.“, S.333 „[...]“, daß er schwerlich von Chigi als Gewinn hätte angesehen werden können.“, S.339 „[...] der hier wohl zugestimmt hätte“. Gleich der zweite Eingriff im 'Argumentum' ist mit der Normalisierung des Ausdrucks gegen die gesucht ausgewogene, von Zwierlein überzeugend nachgewiesene Konstruktion des Kolons ein Gewinn für normale Lesbarkeit und vielleicht gerade das, was dem Verfasser in seinen späteren Jahren gefallen konnte. Etwa der Ferdinand 266ff. unterstellte Verständnisfehler einer durchaus in der von ihm vorgenommenen Weise beziehbaren Aussage setzt voraus, dass allein Zwierlein über die richtige Textkenntnis verfügt. Und ebenfalls von Zwierlein zu rasch vorausgesetzt wird ein unveränderter Stilwille sowie ein ihm entsprechendes philologisches Können und Interesse auch noch beim späten Chigi, der nach über 30 Jahren an Vereinfachungen und Verflachungen eines scheinbar gefälligeren Textes sehr wohl Gefallen gefunden haben mag. Zwierlein spricht abschließend selbst S.353 vom „gelegentlich unbekümmerten Überschwang des jungen Chigi“ gegenüber einem „gemäßigten Klassizismus“. Ob und wie intensiv Chigi tatsächlich einzelne Verbesserungen überdachte, ist nicht mehr zu ermitteln. Tatsache aber ist - und darüber setzen sich Barthold/Zwierlein zu leichtfertig hinweg - dass schon allein durch Ferdinands Aufenthalt in Rom die Gelegenheit zu einem Austausch bestand und dass seine Überarbeitung und nicht die Jugendfassung mit Chigis Willen verbreitet wurde.

Die orthographischen Eigenheiten der zweiten Fassung wurden nach Möglichkeit beachtet. Orthographie und Interpunktion wurden jedoch überarbeitet und vereinheitlicht, im folgenden dokumentiert für den Druck von 1654 (für 1656, 1660 notiert sind lediglich Abweichungen). Die

Anpassung der Interpunktion entspricht inhaltlich zumeist der von Barthold, ist allerdings etwas konservativer.

Stets gedruckt wurde *i* für *j*, *v* für konsonantisches *u*, *u/V* für vokalisches *u/U* sowie *-cumque*, *lacy-*, *nunt-*, *quidquid*, *tet-*, *utrinque* und Großschreibungen 1654 statt *cunque*, *lachry-*, *nunc-*, *quicquid*, *taet-*, *utrinque* und Kleinschreibung 1645, Barthold (vgl. deren Beschreibung der Drucke S.35-44). Groß geschrieben wurde: *Pater* (27, 693, 1017), *Regnum* (17, 104, 335, 352, 358, 415, 638, 723, 830), *Vrbs* (189, v650, 652, 680, 702, 992) sowie 163 *Superos*, 177 *Superum*, 263 *Aram*, 507 *Fors*, v601 *Mulierum*, 684 *Dii*, 711 *Cives*, 814 *Regnantum*, 1062 *Tartareo*; klein dagegen: 406 *gentes*, 835 *tyranni*, 891 *gentium*.

- A *Aegyptum* 1654 statt *Aegypto* 1645  
 A *mentiti* 1654 statt *vera mentiti* 1645  
 8 *dira* 1654 statt *horrenda* 1645  
 15 *trepida* 1654 statt *pavida* 1645  
 21 *et sector ... nemus* 1654 statt *nemusque et ... sequor* 1645  
 21 *umbra* 1645 statt *umbrae* 1654  
 26 *potenti ... torques manu* 1654 statt *tonante ... nutu regis* 1645  
 31f *ignem, diique vos penates, Ilii numen vetustum ...* 1645  
 41f *donec .../ facies nitescat* 1654 statt *niteat .../ quousque facies* 1645  
 70f ... *in Argivum meae*  
 72 *volvuntur aequor nobiles utero rates* 1645  
 72 *armis onusto milleque vagantur duces* 1645, ausgelassen 1654  
 73 *spargit* 1656  
 88 *Ausonia*, 1645 statt *Ausonia* 1654  
 102f *Caesar, ... manu,/ ... vigor,/ ... paret!* 1654 statt *Caesar! ... manu?/ ... vigor?/ ... paret?* 1645  
 105f *non ita. Philippi nec perit in arvis decor, quem bella toties clara monstrarunt satis,* 1645  
 106 *pepererant* 1654, 1656 statt *pepererunt* 1660  
 140f ... *mihī tueri divitem mandavit aulam; haec ipsa placandis vocat praeesse sceptris. ...* 1645  
 153 *quam* Barthold statt *quem* 1645, 1654, 1656, 1660  
 172f *fingit opinio/ ... , quae procul* 1654 statt *desipiential fingit et* 1645  
 203 *audaci* 1654 statt *audendo* 1645  
 208f *munus soporis et dapes prohibens vetat solamen istis aliquod aerumnis dari.* 1645  
 215 *ille, qui* 1654 statt *quisque, quae* 1645  
 225 *Parthumne* 1654 statt *Parthos* 1645  
 237 *et ipse* 1654 statt *utrinque* 1645  
 243f *malisque me, me, quaeso, consortem voca, gaudere laetis cui datum est toties tuis.* 1645  
 246 ... *consilii ...* 1654 statt *solers nec adeo quisque consilio viget* 1645  
 254 *et Roma verax ense fatali occidit,* 1645  
 264f *metu/ concussa* 1654 statt *celer/ latensque* 1654, ... *pavensque* Zwierlein, Barthold  
 269 *timeret ... timens,* 1654 statt *timeret, ... timens?* 1645  
 290f *habetque tellus ipsa tot tumulos sibi tantis gravata et hinc et illinc civibus.* 1645  
 292 *nec astra cernens assuetis vescitur* 1645, ausgelassen 1654  
 293 *auris nec illud noxium coelum patet,* 1645  
 294 *illi* 1645, 1654 statt *ille* Zwierlein, Barthold  
 304 *acie ... sors* 1654 statt *aciem ... fors* 1645  
 309 *sors* Barthold statt *fors* 1645, 1654  
 309 *vicit* 1654 statt *vincit* 1645  
 314 *ac si iuvandum est ita, velim noceant magis,* 1645  
 326f *manetque posteros, quae avitis insita vis enituerat. quisque maiorum decus auxisse gaudet.* 1645; 327b-328a ausgelassen 1654  
 332 *illa* 1654 statt *ista* 1645  
 336f *huc aequa iniqua vertit, omnisque immemor officii, in una iniuria totus memor* 1645  
 347 *defendet* 1654 statt *tutabit* 1645  
 353 *si* 1654 statt *sin* 1645  
 362f *Tagi ... propter undas* 1654 statt *Tagum ... prope fluentem* 1645  
 v386 *Achillas, Pompeius* Beck statt *Achillas et Pompeius*  
 386 *nomen* 1654 statt *columen* 1645  
 390 *fortuna coeptis* 1654 statt *corona factis* 1645

- 418f *bello duces*  
*quicumque Magno advenerit* 1645, ... *advenerint* Zwierlein, Barthold;  
 418b-419a ausgelassen 1645
- 428f *disce hinc assiduis quemque favoribus/*  
*ditare ... providus:* 1645
- 438 *brevi* 1654 statt *triplex* 1645
- 448f *non imber pluvio cadit*  
*caelo sidere defluus* 1645
- 453 *cana* 1654 statt *mixta* 1645
- 459 *spernit inutilem* 1654 statt *negligit artibus*
- 464 *cita* 1654 statt *celer* 1645
- 474 *sis* 1645, 1654 statt *fis* Barthold
- 475 *certabunt populi* 1654 statt *spectabit populos* 1645, *spectabis ...* Barthold
- 481 *terris* 1645, 1654 statt *tectis* Zwierlein
- 485f *pacis ... genti* 1654 statt *gentis ... pacis* 1645
- 497 *ceu* 1645 statt *seu* 1654
- 500 *aetherea* 1654 statt *aetheria* 1645
- 505 *angit cupiditas, invidia, luctus, dolor;* 1645
- 508 *in* ausgelassen 1656
- 509 *mala.* 1645, 1654 statt *mala:* Barthold
- 540 *nullum* 1654 statt *non* 1645
- 518 *ruet* 1654 statt *irruet* 1645
- 562 *visu* 1654 statt *aspectu* 1645
- 581f *isthaec manebat civibus? sic molibus*  
*vastis cadaverum patria surgit polo*  
*altera? tepenti sanguineus unda Tibris*  
*ergone paternum retulit? heu, ...* 1645
- 602 *tui* 1654 statt *sui* 1645
- 649 *gentis, patrio reddere Tibridi* 1645
- 651f *asperam Peleus ... / Aeaci frontem* 1660 statt  
*Peleus frontem ... / Aeaci diram* 1645, 1654, 1656
- 656 *horrido Trachin* 1660 statt *Trachin horrido* 1645, 1654, 1656
- 661f *alitem Peleus liquidas ... / vidit ut Regem* 1660 statt  
*exul ut vidit volucrem ... / Peleus regem* 1645, 1654, 1656
- 660 *Ceycis* 1654 statt *Ceyci* 1645
- 663 *aedes* 1654 statt *aedem* 1645, *sedem* Barthold
- 665 *crudelis* 1654 statt *magnatis* 1645
- 675 *credit* 1654 statt *sensit* 1645
- 678 *Pelion* 1654 statt *Peleus* 1645
- 687 *inde iam* 1654 statt *et modo* 1645
- 697 *pelago* 1654 statt *pelagi* 1645
- 701 *vagus, exul, erra,* Barthold
- 702 *urbem et undantis prope ad ora Nili* 1645
- 705f *primus/ ... nobis* 1654 statt *clivo/ miti* 1645
- 708 *Peleos* 1660 statt *Pelei* 1645, 1654, 1656, Barthold
- 729 *accipit* 1654 statt *mutuet* 1645
- 755 *te* 1654 statt *re* 1645
- 766 *hoc* 1654 statt *haec* 1645
- 801 *quisquis est* 1654 statt *quisque, quam* 1645
- 811 *coisse* 1645, 1654, 1656 statt *coisse* 1660
- 811 *statuuntur brevi* 1654 statt *componi breve est* 1645
- 812 *ille* 1654 statt *inde* 1645
- 819 *favore* 1656
- 836 *pedem?* 1654 statt *pedem.* 1645
- 841 *hoc* 1654 statt *huic* 1645, *huc* Barthold
- 852 *nocte* 1654 statt *nosse* 1645
- 873 *parens* 1660 statt *pater* 1645, 1654, 1656
- 885f *pium/ Apin ... Deum* 1660 statt *Apin/ numen ... pium* 1645, 1654, 1656
- 914 *non insolentes* 1654 statt *dociles abunde* 1645
- 928 *ominatos* 1654 statt *ominatis* 1645
- 933f *quacumque sese orbis per immensi plagas*  
*Cornelia profert, ...* 1645
- 945 *vix* 1654 statt *ut* 1645
- 953 *ramis, lenis* 1645, 1654 statt *ramis pinus* Zwierlein
- v968 *suo commori* 1654 statt *suo voluntaria commori* 1645
- 971 *consumpsit* 1654 statt *consumsit* 1645
- 991 *magnus ... abscessit* 1654 statt *Magnus ... abscessit,* 1645
- 994 *citato ... pede* 1654 statt *citatus ... prope* 1645
- 995 *haeret.* 1654 statt *haeret,* 1645

- 996 *aequor*, 1645, 1654 statt *aequor*. Zwierlein  
 998 *defixa* 1654 statt *affixa* 1645  
 1015f ... *usque adeo turbatis, dii?*  
*usque adeo sedit ira* ... 1645  
 1018 *coetus* 1654 statt *mentes* 1645  
 1022f *celer/ venit faselus* 1654 statt *venit/ faselus illuc* 1645  
 1067 *Colchis*, 1654 statt *Colchis?* 1645  
 1068 *vagantes? ubera* 1645 statt *vagantes ubera* 1654  
 1083 *mutet infelix* 1654 statt *quisque commutet* 1645  
 1089 *tristis* (mit lang gemessener Folgesilbe *Al-* wie *All-*) 1654 statt *tristior* 1645  
 1090 *huc grande rupto nube pallida genus* 1645, ... *rupta* ... Barthold,  
 ausgelassen 1654  
 1091 *totum pererrans foedat aetherium decus* 1645  
 1093 *tamne* 1654, 1656 statt *tam* 1645, 1660  
 1112 *citat* 1654 statt *ciet* 1645

- 'Komma' gestrichen vor *et, atque, -que, neque, nec, aut, vel, -ve, an, quam* u.ä.: v1, v1, 4, 16, 20, 20, 32, 37, 45, 55, 56, 59, 75, 86, 88, 93, 99, 110, 114, 120, 120, 121, 122, 126, 128, 129, 135, 136, 142, 147, v149, 156, 161, 165, 175, 177, 181, 184, 187, 190, 191, 191, 193, 193, 194, 194, 195, 202, 205, 208, 219, 223, 225, 227, 229, 234, 235, 237, v239, v239, 241, 242, 260, 274, 278, 283, 284, 295, 295, 296, 299, 301, 305, 308, 329, 348, 355, 361, 362, 368, 372, 373, 375, 377, v386, 386, 387, 400, 401, 412, 414, 485, 490, 494, 497, 499, 521, v537, 565, 593, 594, v601, 641, 647, 648, 668, 675, 675, 687, 688, 699, 705, 717, v718, v718, 726, 726, 736, 738, 738, 740, 743, 743, 746, 771, 773, 775, 778, 781, 782, 785, 787, 794, 799, 806, 807, 813, 830, 839, v843, 850, 864, 900, 901, 911, 915, 917, 920, 921, 925, 929, 931, 931, 961, 967, v968, 988, 1001, 1008, 1008, 1014, 1016, 1017, 1029, 1030, 1032, 1034, 1035, 1042, 1046, 1048, 1055, 1071, 1072, 1089, 1105, 1112, 1113, 1114, 1115, 1119, 1124  
 'Komma' gestrichen nach: 98 *innocens*, v149 *fatisque*, v149 *vergente*, 187 *pullulans*, 234 *quercus*, 300 *fugiens*, v428 *praedicat*, 468 *fides*, 588 *dubiam*, v601 *ruinam*, 615 *ruinam*, 736 *regnare*, 813 *ut*, 897 *mersus*, 928 *melius*, 1036 *tractu*, 1059 *Magnum*, 1114 *manu*  
 'Komma' ergänzt: 10, 27, 32, 32, 65, 65, 76 *arma*, 82, 83, 88 *Ausonia*, 116 *veniat*, 137 *campis*, 152 *finibus*, 211 *quid*, 230 *rebus*, 233, 233, 243 *tantis*, 243 *quaeso*, 250, 266, 266, 268 *nescius*, 287 *sic*, 293, 312, 312, 314 *velim*, 350 *magna*, 366, 407, 417 *Parens*, 424, 460 (vgl. Barthold S.205f. Anm.534) 478 *sic*, 481, 533, 537, 542, 545 *questus*, 550 *sancta*, 550 *incolis*, 555 *fata*, 568, 570, 570, 576 *secuti*, 589, 590, 595, 607, 624 *propero*, 624 *Iulia*, 648, 666 *te*, 666 *Peleu*, 667, 677, 682, 683, 711 *turba*, 711 *Romani*, 711 *miseranda*, 724, 727, 731 *refert*, 771, 776, 780 *queis*, 780 *anime*, 792 *te*, 800 *et*, 813, 896, 917, 926, 927 *Dii*, 968, 970, 974, 974, 982 *tuque*, 992 *ignarus*, 1000, 1004, 1014, 1015, 1019 *imperat*, 1022, 1038, 1064 *tuque*, 1078 *accede*, 1098, 1102, 1120  
 'Komma' statt 'Punkt': 207 *dolor*, 426, 466, 476, 588 *lues*, 632, 950 *nemus*  
 'Komma' statt 'Doppelpunkt': 126, 220, 221 *linquunt*, v239, 454, v718, 857, 871, 876, 935, 989, 1057, 1099 *alveo*  
 'Komma' statt 'Strichpunkt': 3, 12, 31, 37, 63, 84, 185, 192, 218, 236, 284, 310, 323, 338, 384, v386, 413 *armis*, 445, 447, 457, v492 *Pompeium*, 516, 519, 520, 548, 669, 687, 728, 780 *gradum*, 787, 853, 884, 1044, 1062, 1063, 1078 *inquit*, 1122  
 'Komma' statt 'Ausrufezeichen': 152 *heu*  
 'Punkt' gestrichen: 590 *truci*, 855 *illic*  
 'Punkt' statt 'Strichpunkt': 183, 334, 714, 759, 788  
 'Punkt' statt 'Doppelpunkt': 65, 87, 115, 221, 276, 289, 366, 421, 423, v492 *dolorem*, 536 *tegit*, 611, 654, 758, 791, 888, 1116  
 'Punkt' statt 'Gedankenstrich': 1028  
 'Strichpunkt' ergänzt: 1012  
 'Strichpunkt' gestrichen: v24 *erigit*, 256 *Dii*, 721 *credit*, 754 *dolo*, v912 *vivere*  
 'Strichpunkt' statt 'Punkt': 656  
 'Strichpunkt' statt 'Doppelpunkt': 33, 49, 60, 86, 119, 145, 214, 217, 230, 249, 302, 353, 378, 422, 425, 505, 516, 540, 566, 617, 629, 706, 708, 723, 757, 786, 790, 938, 972, 1088, 1098, 1103, 1111, 1114, 1117, 1120  
 'Strichpunkt' statt 'Komma': 226, 602, 1020  
 'Doppelpunkt' gestrichen: v149 *describit*, v201 *animo*, 1077 *puer*  
 'Doppelpunkt' statt 'Punkt': 671  
 'Doppelpunkt' statt 'Strichpunkt': 61, 533, 607, 707, 873, 890  
 'Doppelpunkt' statt 'Komma': 32, 220, 530  
 'Fragezeichen' ergänzt: 1068

'Ausrufezeichen' statt 'Punkt': 2, 11, 23, 154

'Ausrufezeichen' statt 'Doppelpunkt': 793, 990

'Anführungszeichen' ergänzt: 700ff., 1015ff., 1033ff., 1040ff., 1078f.

'Anführungszeichen' statt Kursivdruck: 576ff., 672ff.

'Gedankenstriche' statt 'Klammern': 98f.